



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptura, Et Vera Catholica
Doctrina, Atque Observatione Vniuersalis Christianæ
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

Bucer, Martin

Genevae, 1613

De memoria defunctorum Christianorum laicorum 92

urn:nbn:de:hbz:466:1-34315

lib. 8. de Ciuitate Dei, cap. ultimo, & lib. 22. cap. 10. & contra Faustum lib. 20. cap. 21. Hac ratione & forma, & propter enumeratas causas memoriam sanctorum celebrare, eorumque nomina in Officio S. Cœnæ recitare, nempe quemadmodum antiquæ Ecclesiæ obseruauerunt, non omni ædificatione careret.

Postquam verò nimia defunctorum Sanctorum existimatio, nec non superstitiosa de meritis & intercessione eorum persuasio, quibus homines sine vlla vera fide in Christum participes se futuros ac fructuosos cōfidunt: perniciosus denique morbus, quò homines maiori cum fiducia sanctos quam Christum Dominum ipsum inuocant, adeo altas in plebe radices egerit, sperari certè non potuit, eiusmodi memoriam ac nominationem defunctorum sanctorum apud S. Cœnam aliquam nostro tempore vtilitatē populo Christiano allaturā esse. Quoniam igitur Christus neque eā præcepit, neque vel suo vel Apostolorum suorum exemplo docuit, idcirco in forma S. Cœnæ, quam Liber Reformationis præscribit, est prætermittenda. Idque ex mandato Domini, qui vult vt omnes ritus in Ecclesia ad hunc modum instituantur & obseruentur: vt per eos pietas efficaciter prouehatur: quicquid verò ei obstare & officere valet, quantum quidem fieri potest, è medio tollatur.

Ex eo quod Dionysius quoque memoriæ sanctorum meminit, conantur Aduersarij inferre, Eam consuetudinem à temporibus vsque Apostolorum in Ecclesia fuisse. Sed vtinam Aduersarij eam formam celebrandi Cœnam Domini, quæ à Sancto Dionysio (quantumuis vetustus aut recens sit) recipere & obseruare vellent: tunc enim vnà cum illis memoriam Apostolorum & martyrum celebraturi essemus. Si enim ad hunc modum obseruaretur, quo temporibus huius Doctoris obseruata fuit, vtilis esset ad ædificationem non scandalosa, vt nunc est non ritè & legitime vsurpata.

Verùm utcunque sit, nihil tamen habent Aduersarij, cuius Librum Reformationis, quantum ad hanc memoriam attinet, incusent. Ipsi enim eam non obseruant, eo videlicet modo quo à sanctis Patribus primum omnium exorta est & obseruata. Tantummodo enim apud se quorundam sanctorum nomina mullitant, populo verò Christi nihil quicquam de iis tradunt nunquam pro eis gratias coram multitudine agunt, nunquam dona Dei ipsis collata, meditantur: nunquam denique imitationem fidei eorum ac bonorum operum in parentibus excitant. Hactenus de memoria defunctorum sanctorum.

De memoria defunctorum Laicorum.

CAP. XCII.



STORVM quoque memoriam veteres sancti celebrarunt, in eaque orarunt defunctis beatam requiem, & communionem cœlestis luminis. Id verò non faciebant tali opinione, quasi eos ex Purgatorio vel alia quauis afflictione, & calamitate eri-

T

pere vellent. De eo enim ne vni cum quidem verbum reperitur apud omnes Patres, qui antè Augustinum fuerunt: eratque temporibus Augustini, quemadmodum ipse proprio testimonio cõfirmat, coniectura tantum, & probabilis opinio, non autem doctrina Ecclesię. Sed postquam antistes, vt sanctus Dionysius testatur, Orationem pro defunctis absolvit, ea vt interpres iudiciorum diuinorum presentibus apertè demonstrat, ac testatur quod Dominus promissam beatitudinem defunctis certò præsteret: deinde verò sacerdotale suum munus in eo exercet, quòd declarando & traducendo Deo charos admittit & excludit impios. Hęc ille.

Et propter hanc causam sacerdos tempore Dionysij, quemadmodum ipse in Officio humandorum mortuorum, eiusque explicatione describit, gratiarum actionem orationi pro remissione peccatorum præmisit, in eoque diuinam gubernationem laudibus concelebrauit, quod per eam destructum est iniquum & violentum contra nos omnes imperium, nosque ad sua iustissima iudicia translati.

Sic etiam apud alios antiquos Patres legimus, vt Ambrosium, Basilium, Nazianzenum, Hieronymum & alios, in orationibus funebribus & Epitaphiis, quòd Deo pro defunctis, vt qui iam in sempiterno gaudio viuunt, gratias egerunt, eoque lugentes consolati sunt: & tamen nihilominus post absolutam gratiarum actionem & consolationem illis rogauerint, remissionem peccatorum, beatam requiem, ac lætam resurrectionem.

In qua oratione dum peccata defunctorum confitebantur, primum omnium gloriam dabant Domino, quod ipsos ex mera gratia, per meritum dilecti Filij sui ad beatam vitam suscepisset.

Secundo. Amorem suum erga mortuos, & desiderium gratiæ donorumque Dei pro suo modo adiunxerunt.

Tertiò, Communionem in Christo Domino nostro, quam nos cum defunctis, qui in signo fidei discesserunt, habemus, confessi ac contristati sunt: quod sanè Ecclesia quotidie facit, etiam inuiuentibus adhuc fidelibus: quibus iugiter orat remissionem peccatorum, & absoluit eos à peccatis: cum tamen nullo modo dubitet, Deum illis iam ignouisse, vitamque eternam in hereditatem largitum esse, quandiu videlicet eos in vera pœnitentia de peccatis, firmaque & solida fide in Dominum nostrum Iesum Christum deprehendit.

In enobivido ad Laurentium, ca. 109. tom. 3.

Quapropter ratiocinatio illa D. Augustini nihil concludit, qua sic colligit. Consuetudinem orandi defunctis remissionem peccatorum, & beatam requiem, ab Apostolis accepit Ecclesia, idque facit non inaniter, sed necesse est vt oratio ista aliquid efficiat. Iam quorundam merita tam bona sunt, vt talibus adiumentis non indigeant: aliorum verò tam mala, vt eos nihil adiuuent. Quare nonnulli ex hac vita discedent, non tam boni, vt non requirant ista post mortem: neque tam mali, vt eis non profint, sed in fide in Iesum Christum aded firmi, vt non condemnentur, peccatis verò ita implicati & inuoluti, vt plenam salutem continuè assequi nõ possint. Et talibus orationem Ecclesię prodesse posse, aut vt ple-

nari.

nam remissionem peccatorum consequantur, aut ut tolerabilior fiat ipsorum damnatio. Omnia ergo sacrificia, siue altaris, siue quarumcunque eleemosynarum quę pro baptizatis defunctis omnibus offeruntur, si pro valde bonis fiant, gratiarum actiones esse dicit: si pro non valde malis, propitiations, si pro valde malis, etiamsi nulla sint adiumenta mortuorum, saltem qualescunque viuorum esse consolationes. Ad hęc modum ratiocinatur D. Augustinus, ad Quęst. 2. Dulcitij, De cura gerenda pro mortuis, Ad Paulinum.

Iam verò si propius intueamur, quomodo & quibus de causis veteres, qui ante D. Augustini tempora fuerunt, sacrificia sua & preces apud S. Cęenam & aliàs peregerint, inuenimus, fideles semper pro his, qui in signo fidei & communionem Christi ex hac vita discessissent, offerre & orare consueuisse: idque non inaniter ac frustra, sed nec propter hanc causam, quam solam D. Augustinus eiusmodi Oblationis & Orationis causam esse opinatus est: nempe vel ad plenam remissionem peccatorum, vel saltem tolerabiliorem damnationem defunctis exorandam & impetrandam. Sancti enim Patres multis illque clarissimis verbis de defunctis suis, pro quibus tamen sacrificia fecerunt, & orarunt, disertisque verbis remissionem peccatorum & beatam requiem cum Christo petierunt, testati ac gloriati sunt, Deo que propterea gratias egerunt, quod illos iam in beatam requiem suam, ac gaudium cęlestis vitę suscepisset.

Causas verò paulo antè commemoratas in eo respexerunt. Primum, quod eiusmodi oblationibus & oratione pro remissione peccatorum defunctorum, peccata eorundem, fratrum ac membrorum suorum in Christo, ad gloriam gratię ac misericordię diuinę, meritique Domini nostri Iesu Christi, agnoscebant & confitebantur. Quod aliquando tantum factum est, ut nonnulli pro defunctis baptizari se paterentur, ad commendandam diuinam clementiam, meritumque Domini nostri Iesu Christi celebrandum. Cuius rei mentionem facit Paulus 1. Cor. 15.

Secundò, Quod isthęc facientes, charitatem & Christianam communionem erga defunctos declarabant, in eo quod pro ipsorum beatitudine non minus quam pro propria salute precabantur.

Tertiò, Quod ministerium Ecclesię, mandatam videlicet absolutionem à peccatis, in eiusmodi fratribus ac commembris suis exercebāt, eosque pro mensura sua & officio in cęelum ad Dominum quasi amandabant ac deducebant: peculiarem etiam confessionem ac contestationem beatę ac sempiternę communionis faciebant, quam inuicem habemus in Christo, quámque discessus ex hac vita non separat.

Hęc sunt causę propter quas antiquiores sancti Patres pro defunctis fratribus apud S. Cęenam & aliàs obtulerunt, & orarunt, atque idcirco, nō in cassum ac frustra, nec quantū ad ipsos & totā Ecclesiam pertinet, quę hac ratione fidem suam & dilectionem exercere ac confirmare potuit: nec etiā quò ad defunctos, quib. in Christo Domino honori ac voluptati fuit, gratię ac misericordię diuinę soli prestitę pia cōfessio, vnā cum exercitio mutuę dilectionis, ministerii que ad eorum salutem.

Ex hac fide Iudas oblationē suam pro defunctis Hierosolymam misit, & precatus est: qua de re legimus 2. Machab. cap. 12. Quam obrem in eo loco solius resurrectionis, tanquam principalis causæ sacrificij illius & supplicationis, mentio fit, nullius verò liberationis ex vlllo supplicio vel tormento.

Quod verò sancti Patres dicta iam ratione pro defunctis orauerint: non autem ea intentione, quod eos ex aliquo supplicio liberare, vel iamprimum plenam remissionem peccatorum illis impetrare voluissent, quamuis vnicique in promptu videre sit, qui citata testimonia Dionysij, funebrēsque orationes Ambrosij, Nazianzeni & Basilij Epitaphia, item ab Hieronymo conscripta legere ac diligēter examinare vollet: tamen quo plenior Christianus Lector huius rei cognitionem, ac firmiter fundamentum habere possit, videamus & examinemus solummodo sequentia dicta D. Ambrosij, in Epistola quadam ad Faustinum quem consolatur de obitu sororis eius, quæ est octaua libri secundi. Ibi sic scribit D. Ambrosius.

Tot igitur semivitarum urbium cadauera, terrarūque sub eodem aspectu exposita funera non te admonent, vnius sanctæ licet & admirabilis femina, decessorem constabiliorem habendam: præsertim cum illa in perpetuum prostrata ac diruta sint, hæc autem (intelligit sororem eius) ad tempus quidem erepta nobis meliorem illic vitam exigat? Itaque non tam deplorandam quam prosequendam orationibus reor: nec mœlificandam lachrymis tuis, sed magis oblationibus animam eius Domino commendandam arbitror.

Ecce hic Pater scribit, Faustini sororem orationibus prosequendam & oblationibus Deo commendandam esse: cum tamen antea dixerit, quod iam meliorem illic vitam exigat. Vnde liquidò patet, D. Ambrosium non hoc intellexisse, quod beatæ huic matronæ beata vita precibus iamprimum impetranda esset, sed vt ad eam nostro quasi more & consuetudine deduceret, Dominoque commendaretur. Et his verbis statim subiungit.

Verum fortasse asseras: securum te de meritis eius ac fide, nequire tamen ferre desiderium, quod eam iam non videas, secundum carnem, idque tibi summo dolori sit. Nec illud te mouet Apostolicum, quod ait, Quis neminem nouimus ex hoc secundum carnem, & si cognouimus, secundum carnem Christum, sed nunc iam non nouimus. Abducit Faustinum à carnali planctu sororis suæ ad spirituale cognitionem & communionem sanctorum.

Ex quo rursus elucet, D. Ambrosium, hoc voluisse, vt Faustinus de beatitudine sororis suæ minimè dubitaret, sed certus ac securus esset. Vnde sequitur, eum in hac sententia non fuisse, quod beata vita defunctis iamprimum, post eorū ex hac vita discessum impetranda sit. Nihilominus tamen voluit, vt eam omnibus persequeretur, & oblationibus Domino commendaret.

De hac certitudine vltius scribit ad finem Epistolæ, in hunc modū. *Quid est quod ingemiscamus pro mortuis, cum iam reconciliatio mundi apud Deum Patrem facta sit per Dominum Iesum? Quoniam ergo Christi beneficia tenemus, cum apud omnes tum apud te pro Christo legatione fungimur, vt noue-*

ris irrevocabilia eius esse dona, ut credas quod semper credidisti, nec nimio more tuam in dubium adducas sententiam: quia ideo peccatum factus est Dominus Iesus, ut tolleret peccatum mundi, & essemus in illo omnes iustitia Dei, non culpe obnoxii, sed iustitia remuneratione securi.

Et in oratione funebri, quam idē ilte Pater habuit in exequiis Theodosij imperatoris per veram pœnitentiam peccatorum ac solidam fidem se ad requiem suam conuertisse, præcedentia verba in hunc modum concludit. *Absolutus igitur dubio certamine fruitor nunc Augusta memoria Theodosius luce perpetua: tranquillitate diuturna: & pro iis quæ in hoc gessit corpore, munerationis diuinæ fructibus gratulatur.* Quibus verbis D. Ambrosius agnoscit, Theodosium in æterno gaudio Domini iam vivere, ac muneratione beatitudinis frui: nihilominus tamen ita subiungit. *Contoror corde, quia ereptus est vir, quem vix possumus inuenire. Sed tamen tu solus Domine inuocandus es, tu rogandus, ut eum in filiis representes. Tu Domine custodiens etiam paruulos, in hac humilitate saluos facito sperantes in te. Da requiem perfecto seruo tuo Theodosio, requiem quam præparasti sanctis tuis. Illo conuertatur anima diuis, unde descendit, ubi mortis aculeum sentire non possit: resurget autem, ut perfectior renouato munere vita reparetur. Dilexi, & ideo prosequor eum vsque ad regionem viuorum: nec deseram, donec fletu precibus inducam virum quò sua merita vocant, in montem Domini sanctum, ubi perennis vita, &c.*

In his verbis perinde loquitur D. Ambrosius, ac si Theodosium Imperatorem iamprimum fletu & oratione in requiem eius & æternam vitam inducere vellet, cum tamen paulo antè dixerit, Eum iam nunc frui perpetua luce, ac requie beata, sicut etiã paulò post inquit, *Manet ergo nunc in lumine Theodosius, & sanctorum cœtibus gloriatur.* Item, *Nunc se angusta memoria Theodosius regnare cognoscit, quando est in regno Domini nostri Iesu Christi, & considerat templum eius.* Ex quibus verbis manifestum est, D. Ambrosium, cum beatitudinem Theodosio precaretur, non dubitasse, totamque Ecclesiam certiozem reddere, & confirmare de eo voluisse, quod iam nunc in æternam beatitudinem receptus esset.

Consimilem gloriationem de beatitudine Imperatoris Valentiniani atque etiam simul orationem pro ea: qui tamen sine baptismo, magno tamen eius desiderio ex hac vita discesserat, nec non fratris sui Gratiani Imperatoris, legere est in oratione funebri eiusdem D. Ambrosij, in obitum Valentiniani.

Apud antiquos enim indubitatum fuit, remissionem peccatorum ad hoc seculum propriè & peculiariter pertinere, in altero verò minimè expectandam esse.

Quare tunc temporis firmiter creditum & obseruatum fuit, quòd omnes qui in fide Christi cum morte remissionem omnium peccatorum consequantur, & continuò in sempiternum gaudium suscipiantur. Qua de re scribit D. Ambrosius in lib. de Bono mortis cap. 2. hæc verba: cum Dauidem introduxisset, dicens. *Et ideo tanquam peregrinus (Dauidem intelligit) ad illam sanctorum communem omnium patriam festina-*

bat: petens pro huius commorationis inquinamento remitti sibi peccata, priusquam discederet de vita. Qui enim hic non accepit remissionem peccatorum, illic non erit. Non erit autem quod ad vitam aeternam non poterit pervenire, quod vita aeterna remissio peccatorum est.

Vides Christiane Lector, Ecclesiam Christi tempore huius Patris remissionem peccatorum plenè atque omnino in hac vita collocasse, & credidisse, quod ad vitam aeternam pervenire non possit, quicumque nõ in hoc seculo remissionem peccatorum consequatur: quòdque remissio peccatorum sit ipsa vita aeterna. Vnde sequitur, quod quicumque in vera fide Christi ex hac vita discedunt, adeo plenam remissionem peccatorum consequantur, ut iam reuera possideant vitam aeternam: neque opus sit ampliozem aut pleniozem peccatorum veniam illis exorare.

Quod idem dare videre est in dicto Cypriani contra Demetrium, quod in eius Tractatus fine habetur in hunc modum. *Credite & venite, & qui nos ad tempus prosequimini, in aeternum gaudete nobiscum. Quando isthinc excessum fuerit, nullus iam locus poenitentiae est, nullus satisfactionis effectus. Hic vita aut amittitur aut tenetur: hic saluti aeternae cultu Dei & fructu fidei prouidetur. Nec quisquam aut peccatis retardetur, aut annis, quo minus veniat ad consequendam salutem in isto adhuc mundo manenti poenitentia nulla sera est. Patet ad indulgentiam aditus, & quærentibus atque intelligentibus veritatem facilis accessus est. Tu sub ipso licet exitu & vite temporalis occasu pro delictis roges, & Deum qui vnus & verus est, confessione & fide eius agnitionis implores, venia confitenti datur, & credenti indulgentia salutaris de diuina pietate conceditur, & ad immortalitatem sub ipsa morte transfuit. Hanc gratiam Christus impartit: hoc munus misericordiae suae tribuit, subigendo mortem trophæo crucis: redimendo credentem precio sanguinis sui, reconciliando hominem Deo Patri, viuificando mortalem regeneratione cœlesti. Hæc ille.*

Ex his quoque verbis sancti martyris Cypriani liquidò patet, Ecclesiam Christi illius tẽpore indubitato credidisse & obseruasse, quod nulla sit in altero seculo remissio peccatorum: & quod plenam remissionem per meritum Domini nostri Iesu Christi consequantur, quicumque in fide ipsius ex hac vita discedunt: etiamsi iam primum sub ipso exitu, vitæque temporalis occasu hanc fidem concipiant, quemadmodum Latroni contigit, qui cum Domino crucifigebatur.

Atque hæc fides obseruatioque Ecclesie fundamento nititur verbi Christi, dicentis, *Amen amen dico vobis, Qui sermone meum audit, & credit ei qui misit me, habet vitam aeternam, & in condemnationem non veniet, sed transibit à morte in vitam. At qui vitam aeternam habet, & in condemnationem iudiciumque non venit, sed à morte transfuit in vitam, qui in eo inesse potest, post mortem perfolutam, vnde in vlla adhuc cõdemnatione hæreat, plenamque remissionem peccatorum & perfectam beatitudinem nondum sit consecutus?*

Quamobrem etiamsi S. Patres pro defunctis fratribus & sororibus sacrificia obtulerunt, precèsque apud S. Cœnam aut alias fuderunt, id tamen nullo modo ab illis factum est, quod vel tolerabiliorem condẽnationem,

tionem, vel plenam remissionem peccatorum, vel denique à suppliciis quibusdam & tormentis liberationem illis iamprimum impetrare voluissent, sed, vt antea dictum est, ex natura & proprietate communionis ac dilectionis per quam fideles in Christo Domino perpetuo vinculo quod nec per mortem dissoluitur, constricti sunt & compaginati, voluerunt eiusmodi suffragiis & oblationibus suis pro defunctis ad gloriam Dei fratrum, membrorumque suorum quæ ex hac mortali vita excesserant, peccata confiteri, redemptionem ac meritum Christi in illis celebrare, eosque quasi in cœlestem vitam precibus suis prosequi, & per ministerium Ecclesiæ obligare, ea ratione ac modo, quatenus oratione sua, ac ministerio ad deunctos fratres & dona Dei iam illis impertita & concessa, pertingere potuerunt.

Quemadmodum in viuentibus ministerium orationis, & communicatio Christianæ communionis, dona & opus Christi interdum subsequitur, non autem vel precedit, vel comitatur, etiam si verba & tota actio ita comparata sit, quasi opus Domini vel antecedit vel comitetur. Sæpenumero enim oratur etiam viuentibus remissio peccatorum, absoluantur à peccatis, baptizantur, abluunturque ab illis, quibus tamen Dominus iam antè peccata abluit & remisit. Dicebat Ananias Paulo, vt apostolus ipse commemorat. *Frater surge, & baptizare, & abluere peccata tua.* Act. 22. & tamen iam antea erant illi abluta peccata, cum Domino credidisset, in eiusque voluntatem & obedientiam se tradidisset, dicendo, Domine, quid vis me facere? Sic pius Theodosius & plerique alij, qui tam seria pœnitentia ac dolore de peccatis suis Deum per Dominum nostrum Iesum Christum pro remissione peccatorum inuocauerunt, & vnà cum ipsis tota Ecclesia, hi sine dubio ab & coram Deo omnium peccatorum suorum remissionē certissimè impetrarunt, priusquam absoluerentur ab Ecclesia.

Nihilominus sic visum est Domino, ad maiorem communioni ministerioque Ecclesiæ autoritatem & dignitatem conciliandam, idque in tali existimatione ac precio conseruandū, vt Ecclesia tales pœnitentes ac supplicantes primum omnium religiosa ac seria prece publica & absolute consolaretur, populoque Christi cōmendaret, perinde ac si iamprimū per ministerium Ecclesiæ à peccatis soluantur & liberentur.

Ex his omnibus cuius Christiano perspicuū est, quàm longè alia fuerit veterū sanctorū sententia ac fides de memoria, oratione ac oblationibus pro defunctis Christianis: quanquā aliena ac diuersa ab horrendo errore, & pernicioso abusu, qui postquam prælatorum auaritia & fastus obtinuit, introductus est, tamque horribiliter inualuit, vt hodierna dies declarat. Veteres ad ædificationem viuentium memorias defunctorum ita celebrarunt, quemadmodum S. Dionysius & alij copiosè testantur. Nempe vt sacerdos per verbum Domini presentes omnes de atrocitate peccatorum, ac seueritate diuini iudicij contra ea, ac deinde passionis & resurrectionis Christi summa cum gravitate & religione commonefaceret, atque hoc pacto veram pœnitentiam de peccatis admissis in nostrum Iesum Christum implorationē, studium & amorem

erga ipsum Dominum nostrum, ac celestem eius vitam inflammaret & excitaret, ad quærendum ac meditandum quæ supra sunt, ubi Christus Dominus regnat ad dextram Patris. Cuius rei gratia S. quoque Cœnâ apud exequias mortuorum celebrarunt, in eaque semper quorundam defunctorum nomina peculiariter recitarunt, nec non in genere omnium mortuorum recordati sunt, ad Communionem in Christo cum omnibus, qui in signo fidei ex hac vita discesserunt, contestandam, beatæque resurrectionis spem augendam & confirmandam. At quid sit nostro seculo, posteaquam Antichristus tantopere inualuit? Primum omnium docetur, esse Purgatorium, in quo diuinæ iustitiæ per supplicium tormentumque animarum iam primum satisfieri oporteat. Quod dogma etiamsi ad certissimam meriti & satisfactionis Christi extenuationem faciat, necessarius tamen & indubitatus statuitur fidei articulus: de quo tamen vetustissimi qui vniuersam fidem Christi, cum omnibus eius articulis confessi sunt, nihil penitus norunt, sicut nec S. Scriptura quicquam pro eo habet, sed potius talia, ex quibus contrarium euidenter & irrefragabiliter concluditur. Dominus enim ipse testatur, quod omnes qui verè credunt in eum, non veniant in condemnationem, sed iam à morte in vitam transferint.

Deinde ex modo & proprietate tormentorum Purgatorij excogitatae sunt plurimæ impiæ apparitiones, traditaque hominibus impudentissima mendacia quibus crudeliter perterrefacti sunt, & ad conficta suffragia, liberationemque animarum ex Purgatorio violenter adacti & impulsi.

Tertiò, Suffragia ista super vigilias missasque pro animabus defunctorum ita penitus fundata sunt, vt dictis vigiliis missisque omnes anguli repleti fuerint, Indulgentiæque quæ precioso vendi ac redimi solent, quotidie communiore meliorisque pretij factæ. Vnde moti sunt homines, vt longè plura in fictitia illa suffragia, tam pro se quàm pro suis impenderent, quàm in famelicum, sitibundum, nudum, exulem, ægrotum ac captiuum Christum in suis, cum apud antiquos primum ac præcipuum, quod in exequiis suis exercuerant, fuerint dona & oblationes pro pauperibus. Ad hæc quanta blasphemia cum nundinationibus, quàmque horribilis vanitas vigiliarum & exequiarum committatur, nemo est qui pro dignitate exprimere queat. Aduersarij igitur eorumque sectatores non habent quod veterum Sanctorum obseruationem quoad memoriam defunctorum vel sibi vel detestandæ abominationi suæ, quam sub pretextu liberationis animarum ex Purgatorio exercent, vlla specie prætendant.

Solutio